DE MUTATIONE, QUA HABITUS ANIMANTIUM EXTERNUS FEMINEUS INDOLEM INDUIT MASCULAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
NICOLAUS JOSEPH. SCHIFFGENS
RHENANO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
ED. RAVE, MED. ET CHIR. DR.
GUIL. ALTHOFF, MED. ET CHIR. DR.
CONST. VORMANN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Verum est ut quam verissimum ludentis quoque ut ajunt naturae et a tramite declinantis, imo vero et ad vitiosam et monstrosam subinde fabricam aberrantis, opera, dummodo sano cum judicio et caute et sobrie iis utaris, gravis utique ad physiologiam illustrandam momenti esse. Inest enim, ut in summorum ingeniorum, ita in naturae ipsius erroribus semper quidquam, quod discamus, quo perficiamur, quod admiremur.

Blumenbachius.

VIRIS

MAXIME SPECTABILIBUS

GUILELM. FROHN

PASTORI LOCI MEI NATALIS

AMICO SUAVISSIMO ET SINCERRIMO

ET

JOAN. JOS. PRUEM

AVUNCULO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Wohin irgend die Neigung, Zufall oder Gelegenheit den Menschen führt, welche Phänomene besonders ihm auffallen, ihm einen Antheil abgewinnen, ihn festhalten, ihn beschäftigen; immer wird es zum Vortheil der Wissenschaft sein. Denn jedes neue Verhältniss, das an den Tag kommt, jede neue Behandlungsart, selbst das Unzulängliche, selbst der Irrthum ist brauchbar oder aufregend und für die Folge nicht verloren.

v. Goethe.

Autumno anni praeteriti, quum in Aquisgranensis agri villa, quae Domini Dauzenbergi est, commorarer, id forte in sermone mecum collato possessor villae narravit, pavonem sibi feminam inter domesticas aves esse, mirifico modo externis suis partibus in marem conversam. Quod quum coram rela-

tum mirationem jam movisset, ipsius tamen avis adspectus (quamvis perfectam plumarum efformationem mutans illa autumnalis temporis natura non siverit) adeo me cepit affecitque, ut quam Ille opinionem mecum communicavit, hermaphroditae naturam in hoc exemplo deprehendi, Ei tanto minus repugnare auderem, quo magis similia commutationis exempla obscura tantum recordatione et levioribus antea concepta imaginibus animo observarentur. Non ignorabam quidem, quae esset omnino inter viros doctos de avium hermaphroditis dubitatio, justum tamen nec temerarium studium exarsit, ut de memorabili hoc casu interna disquisitione accuratius docerer. Ne tamen externus habitus minus perfectus contingeret observationi, usque ad Martii mensis initium differenda indagatio videbatur, quo tempore eam duce et moderatore Mayero, professore Bonnensi, suscepi; nec possum quin viro Ill. propter operam sincere mihi praestitam gratias, intimo pectore petitas, publico etiam testimonio referam. Sed etsi instituta disquisito praeceptam antea opinionem ambigui inter marem et feminam sexus non comprobaverit, haud tamen inutile omne mihi effluxisse studium putavi; nec si de insolita hac re rationem quam maxime accuratam referrem, inanem me aut cognitu indignam operam suscepturum fuisse, veritus sum. Verum ut singuli casus ad generaliorem saepe considerationem aut invitant aut abripiunt, latiusque

patentem materiam menti ulterius inquirenti aperiunt; ego quoque miri hujus ostenti adspectu et contemplatione occasionem cepi, ut quae de eo placerent ad amplioris disputationis formam redigerem, et ex reliquorum etiam animantium ordinibus, quatenus natura eorum permittere videretur, exempla colligerem, quibus illam fulcirem magis et comprobarem. Quippe quibus additis de avibus, mammalibus et homine, quae aut antea comperta habueram, aut postea studiosius conquisivi: quaestionem inde de habitus, qui in utroque sexu locum obtinet, transmutatione solvendam suscepi. Quo autem subtilius transitum hunc explicem, singulis quibusque quaestionibus, quas de avibus, de mammalibus, de homine instituam, id brevi notando exordiar, qua ratione habitus externus cujusque harum classium iis in partibus, quibus mutari potest, pro sexu differat. Hisce autem in pagellis, naturae illos errores quasi, seu lusus potius investigaturus hominis erroribus facilem veniam contingere, imo non sine omni fructu eos haud plane irritos fore, auctoritate principis inter Germaniae poetas fretus confido.

I. DE AVIBUS.

§. 1. De discrimine habitus externi in avibus pro diverso sexu.

In hac animalium classe non cute solum, sed pennis quoque et aliis, quae cum ea arctius commercium

alunt, partibus natura tam mirifice usa est, ut uterque sexus in diversis ordinibus diversissimo modo invicem discrepet.

A. Coloris discrimen omnino ita constitutum observamus, ut maris color feminco vividior sit atque splendidior. Ut enim ex permultis, quae hac ratione afferri possint exemplis, pauca tantum eligam, mas Pici viridis in capite et collo colorem exhibet olivarum viridem, femina autem cinereum griseum. Mergi autem merganseris masculi caput et collum viridi et nigricante colore nitet, feminae vero rubido.

B. Cutis conformationes, cristaeque et similia organa cutanea, nec minus illa, quae cum organis respirationis cohaerentia ad intumescentiam prae ceteris inclinant, magnam in avium speciebus pro utroque sexu differentiam exhibent. Haec cutis scilicet organa a) in maribus omnino magis evoluta et crassiora reperiri solent, quam in feminis, veluti galli communis crista erectior et major quam gallinae est. Meleagridis crista masculi major est, et irritata intumescit; Columbis masculis vis est ingluviem efflandi, Perdicum masculorum oculos cingit membrana verrucosa laetoque colore rubro imbuta. b) Maribus excrescentiae saepe cutis sunt propriae conformatae, quibus feminae carent; ita Phasiani oculos circumcingit cuticula rubra, Galli furcati rostrum propria instructum est crista, et Tringa pugnax ma-

sculus membrana verrucosa, fungosa ad faciei latera devergente praeditus est.

C. Pennis etiam avium mas interdum a femina differt. a) In illo enim singulae pennae explicatae magis et efformatae reperiuntur, quam in femina, veluti Mergi merganseris masculi crista plumosa ad majorem excrescit altitudinem. b) Sed propriae etiam neque illae feminis communes in maribus pennae reperiuntur; ita Meleagris et Pavo propriis caudae pennis sunt instructi, quarum singulae nitore refulgent proprio, quibus simul vis inest propria erectionis et rotationis. Masculi Colymbi cristati ex gena et gula limbus plumosus dependet, Meleagridi in colli parte anteriori fasciculus est rigidiorum crinium.

D. Denique quod diversitatem organorum corneorum attinet, eandem fere legem a natura observatam invenimus, quam in structura partium hucusque recensitarum, ut in maribus nempe magis excultae sint, quam in feminis. Testantur et Gallus communis et Pavo, aliaeque aves, quarum mares ad pedes calcaribus instructos invenimus, feminas nodulis tantum corneis praeditas.

§. 2. Exempla quibus femineas aves habitum virilem induisse nobis compertum est.

Ex omnium animantium classibus creberrima hujus mutationis exempla praebent aves (1).

Cum magna differentiae sexualis externae in iis perfectio, tum vita, quae si cum fecunditatis tempore conferatur, tam longa iis obtigit, ut praecipue mansuetudinis status, in quo complures sunt, originem illius mutationis ejusque observationem adjuvet. Inter ipsas autem aves singulae familiae et quidem genus gallinaceum illis rationibus habitis prae ceteris eminent, quo fit ut in illa familia feminae mascule efformatae saepissime occurrant.

Jam Aristoteles, cui ingentem certe ac si antiquitatis terminos spectes absolutam fere eruditionis observationumque inter animalium et naturam fere universam collectarum copiam debemus, hoc phaenomenon jam de Gallina domestica notavit, idque tam diligenter et copiose retulit, ut et ipsi nostri naturae observatores nil novi fere addere possint. Qui quum omnia ornamenta, quae gallis propria sunt, gallinis etiam fuisse memoret, tam perfectam illam mutationem observasse ipse videtur, neque id raro, cum de ea fere in universum mentionem faciat. Quam autem rationem hujus mutationis descriptioni adjicit, ea non tam ipsius, quam vulgi

---

(1) Quorum in universum mentionem faciunt: Blumenbachius: instit. physiol. pag. 550. Idem Handbuch der vergleichenden Anat. Gött. 1815 §. 137. Tiedemanns Zoologie. III. B. pag. 306. Schneider in additionibus: Imperatoris Friderici de arte venandi cum avibus. Lips. 1788. pag. 204.

opinionem referre videtur. Neque inepte ratiocinabimur, si phaenomenon hoc tunc temporis vulgi etiam attentionem summam movisse colligimus. Aristotelis autem verba haec sunt: Ὥσπερ δὲ τὰς πράξεις κατὰ τὰ πάθη συμβαίνει ποιεῖσθαι πᾶσι τοῖς ζώοις, οὕτω πάλιν καὶ τὰ ἤθη μεταβάλλουσι κατὰ τὰς πράξεις, πολλάκις δὲ καὶ τῶν μορίων ἔνια οἷον ἐπὶ ὀρνίθων συμβαίνει αἵτε γὰρ ἀλεκτορίδες, ὅταν νικήσωσι τοὺς ἄῤῥενας, ὀχεύων ἐπιχειροῦσι, καὶ τό τε κάλλαιον ἐξαίρεται αὐταῖς καὶ τὸ οὐροπύγιον· ὥστε μὴ ῥαδίως ἂν ἐπιγιγνῶναι, ὅτι θήλειαί εἰσιν. ἐνίαις δὲ καὶ πλῆκτρα μικρά τινα ἐπανέστη. (2)

Inde ab Aristotelis tempore hoc phaenomenon nusquam distincte commemoratum inveni usque ad J. Hunterum, nisi illae Phasianae, quas Eduardus (3) jam ante Hunterum descripsit et depinxit, huc sunt referendae. Hae Phasianae enim ex omnibus numeris viriliter formatae fuisse videntur, et haud dubie hunc habitum mutatione induerant, quamvis auctor ipse mutationis, qua illae affectae fuerint, mentionem non injiciat. J. Hunter (4) vero de tribus Phasiani Colchici feminis in mares

---

(2) Aristotelis hist. animal. Lib. IX. cap. 36. vulgo Cap. 49.

(3) G. Edwards natural history of uncommon birds Lond. 1745. vol. II. p. 69.

(4) An account of an extraordinary pheasant. in: Philosophical transactions. Vol. LXX anni 1787. p. 527. et in ejus: Observations on certains parts of animal oeconomy ed. 2. Lond. 1786. p. 75.

mutatis disserit, quae omnes aetate provectiore sensim effectae evaserunt. Conversio vero illa ratione quadam cum quaque pennarum mutatione perfectior fiebat, adeo ut ani illarum gallinarum calcaria ipsa excreverint, nihilominus post mortem partes illarum genitales sine ullo vitio repertae sunt. Tradit idem, in regionibus, in quibus hae aves sua sponte vivant, saepe feminas marium pennis ornatas, sed sine calcaribus et procreandi vi reperiri. Blumenbachius (5) specimen haud minus memoratu dignum Phasianae pictae refert, quam a vivarii phasianini regii inspectore quodam acceperat. Quae cum usque ad septimum circiter aetatis annum nullatenus ab aliis suae speciei feminis distingui potuisset, ad ova ponenda segnior reddita est, neque jam cum maribus coibat, et quoties annuo fastidio, ut Plinius ait, correpta pennas poneret, sensim earum loco splendidioribus marium pennis induta, triennio praeterlapso fere prorsus mascula esse videbatur. Iridis tantummodo color rostrique muliebris fuscus nempe permanebat, et calcaria deficiebant. Perscrutatio anatomica post mortem, quae ei anno aetatis quindecimo evenerat, instituta ovi ductum tabidum et tenuissimum esse, ovaria autem fere plane periisse edocuit.

---

(5) Commentatio de nisus formativi aberrationibus in comment. Goetting. ann. 1811—13. p. 8.

Goetzius (6) de tribus ejusdem speciei gallinis mu-
ationem similem commemorans, quas in horto prin-
ipali Hanoviensi observavit, nonnulla certe memo-
atu haud indigna de instinctu harum avium refert.
Quae si inter Gallos versabantur gallinae ab iis pu-
abantur et vehementi ardore sexuali appetebantur;
in autem inter plures gallinas erant, gallus occur-
ens eas gallos existimabat et tanquam aemulos of-
endebat et fugabat. Plura gallinarum domesticarum
xempla tradit J. Butter (7), qui de hoc avium
haenomeno peculiarem commentationem conscri-
sit. Una gallina, quae pullos ad pugnam gallina-
aceam aptissimos procreabat, et eam ob causam
er quindecim annos diligenter fovebatur, primo pen-
as caudae in masculas mutare incipiebat, tum vero
nagis magisque mari similis reddebatur, ut calcaria
uoque, crista, et membranulae ad gulam nasceren-
ur. Etiam galli juvenis more canebat. Quamvis
ero gignendi facultate privaretur, tamen post mor-
em tria ova perfecte exculta in ea inventa sunt.

Bechsteinius (8) insuper, quamquam gallina-

---

(6) Naturgeschichte des Goldfasans von Götz: der Na-
urforscher. Halle 1780. Stück 14. pag. 207.

(7) An account of the change of Plumage exhibited
y many species of female Birds, at an advanced period.
f life: in: Memoirs af the Wernerian Natural History
ociety. Vol. III. Edinb. 1821. pag. 183—206.

(8) J. M. Bechstein, Naturgeschichte Deutschlands.
eipzig 1793. 3. B. Seite 339.

rum domesticarum mutationem pennarum non commemorat, tamen in aeta'e provectiori saepius illis calcaria enasci contendit, easque efferari, ovaque rarius posita rostro diffusa devorare et canere et pullos vocare, tum vero ova sine vitello parere, pinguescere et debile aut nullum ovarium habere. Quod vero idem (9) de Phasianis pictis et Nychthemeris (10) refert, nempe has ad ova parienda non amplius aptas semper colorem in masculini sexus propriam commutare, et inde fusca tantum iride a maribus distingui, adeo ut femina tali modo mutata a ceteris gallus putaretur, id equidem non satis firmiter stare contendo, cum ceteri scriptores, vel ii, qui fusius his de avibus disseruerunt, nihil habeant, quo hujusmodi opinio probari videatur. Mauduyt (11) porro minime hoc phaenomenon negligens in commentatione, quam de avibus scripsit, contendit, inveniri in Gallia tales phasianas, quae a venatoribus « Phasisans coquars » nominatae pro feminis effetis habeantur. Praeter alia minoris momenti adhuc adjicit, se ipsum cum Vicq d'Azur in singulis, anatomico cultro perquisitis, genitalia muliebria et ovaria et oviductum degenerata et tabida semper reperisse. Quamquam vero plerumque ut ab

---

(9) ibidem p. 446.

(10) ibidem p. 453.

(11) Ornithologie, Art. faisans, in: Encyclopaedie methodique part II. p. 3 et 7.

initio retulit, haec mutatio in feminis tantum senescentibus inveniatur, sub finem tamen concedit, exempla haud rariora exstare, quibus jam anno aetatis quinto aut sexto eam exoriri posse comprobetur. Etiam in museo zoologico universitatis nostrae litterariae Berolinensis Phasianae Colchicae exemplum ejusmodi conservari, a principe Biron dono datum, apud Kobium (12) legi. Quae cum in praediis ejus rusticis nata et nutrita, per nonnullos annos ova peperisset, seriori vitae aetate sine ullo bonae valetudinis detrimento mutationem muliebris indolis ita pertulit, ut pennarum color et forma masculinam induerent indolem, quin tamen calcaria excrevissent. Saepius etiam ceteras gallinas supervenire conata esse dicitur. Ovarium et ceterae genitales partes post mortem in degenerato inventae sunt statu. Praeter haec de Gallo domestico et phasiano prolata exempla, praecipue similia inveni de pavonum feminis, quae viriles redditae sint, apud Ausonium (13), Butterum (14), J. Hunterum (15). Hic enim sub finem commentationis, supra jam laudatae exemplum pavae protulit, cujus mutationem ideo accuratissime esse animadversam putat, quod illustri cuidam matronae haec prae ce-

---

(12) De mutatione sexus. Berol. 1823. p. 15.

(13) Epigramma LXIX. v. 4.

(14) l. c. pag. 201.

(15) l. c. pag. 536.

teris avis cara fuisset. Haec octies ova peperit, et quum plane muliebrem se hucusque praebuisset, tum absoluta annua pennarum mutatione splendidioribus marium pennis induta conspecta est, quae mutatio per tres sequentes annos repetita eo perfectior facta est, cum praeterea calcaria ipsa nascerentur.

Meleagridibus senescentibus nonnunquam cristam pilosam masculorum modo in pectore accrescere, Bechsteinii (16) docet observatio, qui tamen de aliis masculae naturae indiciis, fuerintne in his avibus conspicienda, nil commemoravit. Kobius (17) autem refert, quamvis non adeo exemplis comprobans, saepius animadversas esse Meleagrides aetate provectas, et illa crista pilosa in pectore praeditas, quibus, masculorum modo iracundia concitis, eorum more intumuerit crista iisdemque cuticula ad gulam fuerit. Ibidem refertur per marium quoque vestitum masculo similem fuisse, neque illam erigendi facultatem defuisse, qua saepius, si animi motu excitatae essent, aut inter mares versarentur, uterentur. Tiedemannus (18), Blumenbachius (19), Meckel (20) neque minus Butler (21)

(16) L. c. p. 309.
(17) L. c. p. 16.
(18) L. c. p. 306.
(19) L, c. p. 8.
(20) System der vergleichenden Anatomie. 1 B. pag. 260.
(21) L. c. p. 197.

n serie avium, hac mutatione affectarum adhuc columbam referunt, in omnibus autem, quotquot eam ob causam evolvi libros, nusquam exemplum accuratius descriptum invenio, neque Denso (22) aliud quidquam affert, quam columbam virilem factam saepius a se esse observatam. Ex omnibus exemplis hisce relatis id certe satis elucet, hoc phaenomenon inter aves gallinaceas quam saepissime occurrere. Quamvis autem in ceteris avium ordinibus, pro exemplorum, quae referri possunt, numero, rarius inveniri videatur, tamen neque in his omnino desiderari, observationes, quae sequentur, ostendent. Sic Ev. Home (23) satis accurate anatis mutationem describit, quae J. Huntero ad disquisitionem missa, sed, quod hunc mors abripuerat, a Rumballo quodam perscrutata est. Cui anati, cum annos octo assidue ova peperisset iisque incubuisset, primo vox obtusior, neque tamen masculae plane similis reddita est, tum vero pennae crispae in cauda apparuerunt. Deinceps ad ova ponenda segnior, cum aliis feminis coire tentabat, in quo conamine omnes maris mores imitabatur, et tum, ut fieri solet, una cum feminis se abluebat. Inquisitione anatomica post mortem

---

(22) Monatliche Beiträge zur Naturkunde. 1752. Stück 4. p. 495.

(23) An account of the dissection of an hermaphrodite dog, et by Ev. Home in: Philosoph. transact. 1799. vol. 1. pag. 174.

instituta perfectissima muliebria genitalia sunt reperta. Anatis alius femineae historiam satis accurate enarrat Denso (24), quae cum jam multos per annos procreandi officio sedulo functa esset, paulatim id negligere et incubitum recusare incepit. Tribus annis praeterlapsis omnino ova parere desiit, tum etiam voce graviori reddita, pennis curvatis et crispis in cauda instructa est, ita ut a possessore mas haberetur, praesertim cum ceteris feminis veluti mas uti videretur. Perscrutatione anatomica instituta Denso nulla fere ovarii vestigia ejusque loco lapillos concretos, oviductum tabe consumtum et orificium tam angustum invenit, ut fere concretum videretur. Butterus (25) duarum adhuc anatum mentionem fecit, de quibus vero id tantum refert, eas masculis plumis fuisse vestitas, quarum cum altera hoc statu capta esset, nihil certi de mutatione potuit referri.

De avibus ambulatoriis tantum apud Bechsteinium (26) paucis reperi relatum: Oriolum senescentem mutationem hanc nonnunquam passum esse.

Ex passerum ordine Salernus (27) solum hujus phaenomeni mentionem injicit de Pipra nimirum

---

(24) l. c. 6. Stück. pag. 495.

(25) l. c. p. 201.

(26) l. c. p. 297.

(27) Latham a general synopsis of birds Lond. 1781. Vol. 4. p 672.

ıpicula, quam ova ponere cessantem, sequente pen-
ırum mutatione saepius vestitam esse, ut facile cum
ıs commutanda sit. Fortasse etiam haud plane alie-
ım est, Fringillam illam canariam, quam Blumen-
ıchius (28) commemorat, huc referre, quae habitu
tterno mari simillima fuisse dicitur. Ovum ea par-
ılum sine vitello peperit, quod Erhardt Prof.
ed. Erfurtensis Blumenbachio miserat, qui etiam
ıbitans, an illa Fringilla canaria revera masculi ge-
ıris esset, se disquisitionem anatomicam post avis mor-
n instituturum promisit, de qua vero nihil reperi.
ıud dubie hoc ovum a vetusta femina erat partum,
ım haud raro gallinae, si effetae fiunt, talia ova po-
ıre soleant (29).

Nota. Haec nobis exempla verisimile reddunt
um alterumve exemplum gallorum, qui ova pepe-
se vulgo perhibentur, originem hinc duxisse.
ıamvis enim longe plurimas de ovis, quae gallorum
tantur, narratiunculas ex errore et confusione na-
concedamus, et quamvis exinde nata fabulosa
basiliscis commenta ad aniles fabulas sint rele-
nda, exempla tamen tot et tam varia sunt relata,
ae illustrissimi ipsi viri, ut Hallerus, refutare non
tuerint, sed adeo indagatione accuratiore digna
taverint.

---

(28) l. c. p. 10.

(29) Tiedemann l. c. p. 117. §. 516.

§. 3.

De Pava a me observata. (29*)

Pava haec nostra anno MDCCCXXII a pavone albo et communi pava procreata, ubi primum ovo exclusa est, vario suo colore prae reliquis quatuor pullis excelluit, nec quidquam praeterea insigne erat, quod in illa notares. Quae quum legitimo tempore, tertio nempe, postquam genita erat, anno ova posuisset tria, non multo post ad incubationem inclinavit; nec tamen quamvis summo studio per ipsas quinque hebdomadas, supposita sibi ova fovisset, pullos genuit. Sequente autem vere (a. MDCCCXXV) pava haec ut antea cum mare suo consuevit, eoque tempore, quo ova ponere id animal solet, clamorem illum in pariendo sibi consuetum edidit; nec tamen ulli studio aut attentioni, ut ovum reperiretur, contigit. Auctumnali ejusdem anni tempore, quo solita naturae lege plumae mutantur, illa prima mutatio in pava hac conspiciebatur, ut fuscae subnigraeque antea et parum aureae in collo plumae, coeruleo tum colore, varioque inter violaceum viridemque et aureum nitore inducerentur, quo nunc etiam sunt. Eodem tempore id etiam observatum est, pavonem a pava nostra discessisse, idque notando dignum om-

---

(29*) Hujus pavae cutis farcta ut etiam praeparatum genitalium in museo anatomico universitatis litterariae Guilelmae Fridericae Rhenanae conservatur.

nino videtur propter consuetudinem, qua antea interdiu noctuque degerant. Anni autem MDCCCXXVI auctumno non in collo tantum plumae masculam plane speciem induerunt, sed in tergo etiam caudaque, quae vero longitudine non multum feminearum modum excesserunt. Quae tamen sequentibus annis magis magisque cum colore tum forma masculam naturam assumserunt, ut mihi inquirenti avem et inspicienti sub anni MDCCCXXXIII initium, omnia jam plane masculam nec nisi dorsuales pennae femineam naturam prodere viderentur. Ac pennas quidem rotavisse aestate primum anni MDCCCXXX observatum est, quod tamen rarius ab illa quam a masculis pavonibus plerumque factum notatur. Vocem non audivi, eam tamen ad femineam propius, quam ad masculam accessisse comperi.

Descriptio habitus externi.

Capitis quidem figura ea est, ut, cujus sexus avis habenda sit, quum et feminae et maris pavonis caput compararim, constituere non audeam; color vero plumarum omnino masculus. Crista, quum transportaretur avis, eo damno affecta est, ut reliquis ex plumis vix quis conjiciat, propiusne ad masculam illam auctiorem plenioremque formam illac accesserint. Primitivus iridis color cinereus est, ut in communi pava, sed subluteae maculae inspersae videntur, quae in exteriori segmento iridis fere circulum effi-

ciunt. Haec autem mixtura colorum et eorum, qui in masculo et qui in femineo sexu reperiuntur, utrum mutationem solam e femineo sexu in masculum significet, an albi in hoc et communis pavonis commixtio cognoscenda sit; in eo quidem, quum defuisset occasio comparandi pavam albam cum versicolore, certi quidquam affirmare non ausim, etsi hoc alterum probabilius mihi videri confitear. De rostro autem et collo nihil, quod notetur superest, nisi quod hujus plumae splendore simillimae sint masculis. Plurimum dorsuales plumae utriusque habitus mixturam declarant, transitumque sensim factum maxime in eo produnt, quod quum singulae partes dorsi pennarum splendidiori illo masculo nitore conspiciantur, in aliis femineus color praevalet. Cauda longitudine 3′ 4″ primo intuitu omnino mascula videtur, sed accuratius disquisita omnibus signis, quae femineum typum indicant, haud caret. Supra illum enim locum, quo caudae pennae oriuntur, dorsuales plumae, quas modo descripsimus, omnem femineum colorem quantulumcunque superstitem immutarunt, et velut in mare pavone nigrae viridescenti et cupreo paene colore tegularum modo dispositae splendent. Sed etsi in plurimis levis quaedam gemmae species notetur, quae planior excultiorque est in perfectis jam caudae pennis, ravus tamen etiam ille subcanus color non defuit, nigris etiam adspersis maculis, candido splendore nitentibus. Reli-

quae quae superne tegunt pennae, masculam omnes et speciem, et, ut supra diximus, longitudinem habent; inferiores masculum colorem, sed in extremitate nonnullae non gemmam, sed cineream luteamve notam gerunt; singulae, quarum conspicua satis gemma est, flavam canamve ligulam ostendunt, usque ad extrema procurrentem. Crura quidem satis ex pavae, minus ex pavonis hujusmodi natura fortia apparent, quod idem de digitis valet. Calcaria magnitudine haud multum corneas squamas pavae superabant.

D i s q u i s i t i o a n a t o m i c a bene nutritam pavam ostendit, satisque musculosam, nec tamen solita alioquin pinguedine excellentem. Abdominis cavo aperto, id memorabile visum, singulos adjacentes plexus intestinorum fibris coaluisse. Quibus sepositis, ut partes genitales investigarentur, in sinistro latere pars inventa est, quae exteriori forma et structura nonnisi ovarium haberi potuit, longitudine summa 11''', latitudine 7''' referens. Tribus ea vero partibus constare visa est, sic arcte inter se junctis, ut vix nisi ipsius substantiae dissolutione disjungi possent. Quarum superior pars etsi latior ceteris tamen minor apparuit, huic pars irregulari quadrato adaequata adjacuit; et hanc mediam tertia pars eaque maxime excipit, quae in oblongam paene angustamque figuram desinit. Superioris quidem et inferioris lobuli substantia subrufo colore gaudet structuraque valida

et firma, sed paulum elastica, estque cum colore tum structura hepatisationi rubrae pulmonum simillima. Media pars e subflavo albescit, et solidior et lipomatosae substantiae similis est. In superiori et inferiori lobulo singula albida grana conspiciuntur, quae inermi oculo sabuli tantum formam praebere videntur. Contactu quidem ea dura sunt, unumque ex iis demptum nulla digitorum vi conteri potuit. Medius autem ille idemque albus lobulus et nudo et armato oculo laevis visus est. Neque minus interiores hujus ovarii partes exteriores plane adaequaverint, nisi superior et inferior lobulus granis illis carerent. Oviductus plane ex regula constructus in utroque ostio apertus. Ren autem succenturiatus dexter, duobus lineis altior quam sinister, in duos lobulos disjunctus, mollior paululum contactu, nec sine consueto subluteo parenchymate. Qui sinister est, demissior illo itidem duobus sed minus disjunctis lobulis consistit. Omnis vero ab ovario tegitur, summaque ejus superficies cum inferiori ovarii superficie concreta, ut tamen plane disjungi queat. Praeterea aortae tantum vitium est repertum, cujus in superficie, ubi prope ovarium ducitur, cartilagineus nodulus cano colore suffusus conspicitur. Qui dissecta illa minutam flavi coloris excelsitatem conformatam ostendit, quae quum in lumen arteriae immineret, hoc quidem multo angustius reddebat, neque tamen totum obstruxit. Similis quaedam sed minus

excelsa degeneratio in illo loco cernitur, quo aorta abdominalis iliacas edit arterias.

II. DE MAMMALIBUS.

§. 4. De discrimine habitus externi utrumque hujus classis sexum intercedente.

A. Ut omnino in mammalium ordine diversitas colorum minor quam in eo avium est, ita in classe hac ipsa sexus uterque minus coloribus differt, adeo ut in paucis tantum familiis distingui possit, veluti: Melis, Felis, Lynx, quarum mares a feminis eo differunt, quod illorum color lucidior paulo et intensior apparet.

B. Perfectiori cutis conformatione paucorum tantum mammalinm sexus differunt, in quibus autem differentia aliqua adparet. Maris enim cutaneas partes magis excultas invenimus, ita Phocae cristatae mas cristam gerit in naso, quae ad oris latera dependet.

C. In crinium differentia utriusque sexus analogia quaedam locum habet cum dissimilitudine pennarum in avibus. a) Crines enim in masculi corporis nonnullis partibus majores et rigidiores reperiuntur, in femineis minores et tenuiores. In Ovibus et Capris feminarum crines tenuiores quam iidem marium sunt; Caper barbam fert longiorem et rigidiorem quam capra. b) Peculiaribus etiam mares nonnullarum familiarum instructi sunt crinibus,

quibus feminae carent, sic Phoca jubata juba; Cervus alces propriam habet jubam, quae inde a collo fere medio usque ad humeros porrigitur; Leonis etiam juba a capite ad cervicem promissa est, quae leaenae deest; item Capro ilici barba est, qua femina caret (31).

D. Partes corneae mammalibus, si qua iis instructa sunt, simili modo ac crines utrique sexui sunt distributae. a) Sive uterque sexus easdem gerit partes corneas, feminae quidem plerumque breviores, omnino minores et minus curvatas quales invenimus in Rhinocero, Antilope, et Capro ilici. b) Sive mas singulis instructus est partibus corneis, quibus femina caret, v. g. mas totius generis cervini, excepto Cervo tarando, mas Gazellae.

§. 5. Exempla quibus habitum mammalium femineum externum in masculinam indolem abiisse refertur.

In Anglia anno MDCCLXXXIV a duce de Gordon cerva (32) e genere cervi elaphi occisa est, quae in altero latere cornu gerebat, trimi cervi

---

(31) Berndt, über den Bart im encyclopädischen Wörterbuch von den Prof. der med. Facultät in Berlin. 5 Band, Seite 30.

(32) Extr. from the Minute book of the Linneam society, in: transact. of the Linn. societ. Vol. II, p. 356.

indicem, in altero nulla cornu vestigia prodibant. Cerva haec nunquam peperisse est visa, et ovarium cornuti lateris omnino scirrhosum est inventum. Inter exempla, quae Wildungen (33) et Mellin (34) collegerunt, plures commemorantur cervae, in alterutro tantum latere cornutae. Una earum, cui cornu dextrum altero aetatis anno enatum erat, bis hinnulos bene conformatos peperit. Dum ventrem gerebat, pellem cornu exteriorem amisit, quo perfectior reddebatur, tempore autem lactationis cornu non quidem totum sed superiores ejus partes deposuit, quae vero non solum regeneratae, sed novo adeo ramo adauctae sunt. Wildungen (35) vero jam antea exemplum cervae retulit, quae in altero tantum latere cornu, quod trimi cervi esse videbatur, erat munita, et cujus post mortem eodem in latere, quo cornu erat enatum, ovarium inventum est scirrhosum, in altero, quo cornu deerat, plane sanum. Simile quoddam specimen cervae, uno tantum latere cornu praeditae, brevi descripsit et delineavit Ridinger (36). Aliam enarrationem de cerva cornigera, e genere Cervi Damae Valmont de Bomaire (37) tradi-

(33) Wildungen Taschenbuch für Forst- und Jagdfreunde für das Jahr 1800. Seite 14—20.

(34) ibidem 1805. pag. 13—17.

(35) Neujahrsgeschenk für Jagd- und Forstliebhaber auf das Jahr 1796.

(36) Abbildungen seltener Thiere, Tab. 79.

(37) Journal de physique. Tom VI. p. 501.

dit. Huic in sinistro tantum latere cornu excreverat, quamquam in dextro columella illa, ex qua cornu enascitur, non desiderabatur. Genitalia in perscrutatione anatomica omnino plane muliebria sunt inventa; quum vero clitoris esset justo longior, et vagina justo angustior; in disputationem vocari licet, praesertim cum de mutatione nil certi constet, utrum illa aberratio congenita, an vero sub seriore demum vitae decursu efformata fuerit?

In exemplis hucusque relatis cervae commemoratae sunt, uno tantum latere cornu praeditae, sed alii praecipue antiquiores scriptores cervas etiam observatas esse testantur, quae in utroque latere cornua tulerint. Giraldus (38) cervam in Cambria occisam descripsit, quae cornua e cervi decimo secundo anno gerens, pinguior solitis reperta est. Ledelius (39) narrat marchionem quendam Badensem talem cervam cepisse, cujus cornua Regi Gallorum dono missa, hujus jussu in Regio horto, subscriptis in tabella testibus, qui venationi adfuissent, affixa fuerint. Plura etiam exempla de cervis utroque in latere cornibus instructis inveni apud Langelot-

---

(38) Anglica, Normannica a veteribus scripta. Francof. 1603, p. 82.

(39) Ephemer. germ. nat. cur. ann. II. Obs, 98. p. 247. Idem jam antea retulerunt Colerus oecon. de venat. lib. 14. Cap. 35. et Langius lib. I. epist. medicinal.

tum (40), apud Ulyssem Aldrovandi (41) et Conr. Gessnerum (42); praeterea Blumenbachius (43) adhuc laudat Stahlium (44) et Scheuchzerium (45).

Nota. Cervae, quae ab antiquis poëtis cornutae nominantur, veluti ab Anacreonte, Sophocle, Euripide et aliis, huc certe attrahendae non sunt. Neque enim poëtae naturae vestigia tam stricte premunt, quin ad artem potius suam, quam ad accuratum singularum rerum naturalium studium omnia conferant, ideoqne, quia poëseos quidem nihil interest, cervis in universum tribuunt, quae masculi tantum sexus propria sunt. Idem fere jam Aristoteles sentit, qui quum ipse cervam cornibus carentem describat, poëtas minus inscios, quam metaphora utentes, cervas cornutas vocare, contendit (46). Luculentius hac de re disseruerunt Conr. Gessner (47) et Ul. Aldrovandi (48).— Similia etiam Capreae cornutae exempla non desiderantur, quorum primum

(40) Ibidem ann. 9 et 10. dec. I. obs. 88. p. 225.

(41) Quadrup. omnium bisulcat. hist. Bononiae. 1621. p. 776.

(42) Hist. animal. Fig. 1551. Lib. I. p. 331.

(43) Vergleichende Anatomie. S. 35.

(44) De cornu cervi. decid. Halae 1699.

(45) In Leopoldin. dissert. de alce. Bas. 1700.

(46) Aristotelis historia animalium lib. III. cap. 2.

(47) L. c. lib. I. p. 331.

(48) L. c. p. 775.

Gab. Clauderus (49) commemorat. Hujus capreae cornua omnino erant hirsuta et deformia, ut prima solent esse, quae cervo excrescunt. Utrumque cornu constabat ex osse in globos quasi contorto, quorum alterum non insolitam cornuum capreolorum altitudinem ascendebat. Alius nuperrime observatae capreae historiam Otto (49*) nobis refert. Hieme 1813—14, quum in Silesia multae ferae caperentur, caprea macie confecta ad eum delata est, cornibus brevibus deformibusque praedita, unum cum dimidio tantummodo digitum extrinsecus eminentibus. In calvaria diligenter purgata duo emboli breves cernebantur, in quibus illa cornua longitudine circiter unius pollicis, latitudine autem paene duorum pollicum, in apice rotundata et deformia apparebant. Cornua constabant e materie ossea solida et in infima parte cingebantur corona ex ossibus excretis formata. Praeter haec duo Caprearum cornibus praeditarum exempla inveni, alterum apud Otto (50), alterum apud Wildungen (51), quae tamen haud ita magni momenti sunt, ut hic latius exponam.

Quamvis igitur phaenomenon hoc, ut cornua

---

(49) Ephemerid. natur. curios. decur. II. ann. VI. obs. 82. pag. 367.

(49*) Seltene Beobachtungen für Anatomie, Physiologie und Pathologie. Breslau 1816. p. 71. Nro. 30.

(50) Handbuch der pathol. Anatomie. Pag. 35. Anm.

(51) Wildungen l. c. 1801. p. 178.

feminis contra naturam enascantur, inter mammalia creberrimum esse, exemplis his omnibus satis eluceat, tamen alia etiam ratione hanc mutationem accidere posse, hisce, quae sequuntur, exemplis probatur. Le Vaillant (52) tradit Camelopardales utriusque sexus juniores eodem colore, nempe badio tinctos esse, quem sensim pro vario sexu mutatum, feminae fuscum, mares vero e nigricante fuscum gesserint. Hanc differentiam in senectute saepius ita commutatam contendit, ut feminarum color masculo simillimus sit factus. Wildungen (53) exemplum haud minus notatu dignum refert cervae, quae quum cornua quidem non ferret, praeterea tamen totius corporis habitu cervo erat simillima, neque enim barba, nec capillitii crista in fronte desiderabantur, collum et venter erant hirsuta, nec minus aurium et extremarum partium situs et configuratio masculis erant similes. Praeterea odorem, cervis tantum masculis peculiarem, emittebat, et feminas, veluti libidine mota sequebatur.

IV. DE HOMINE.

§. 6. De differentia utriusque sexus in habitu externo.

Feminae cutis est tenuior, mollior et glabrior,

---

(52) Second voyage dans l'interieur de l'Afrique. Paris l'an 3. Tom. II. p. 314.

(53) l. c. 1800. p. 20.

quam in viro, venae in illa sunt pellucidiores et vasa capillaria minus continent sanguinis. Crines etiam omnino sunt tenuiores et molliores in femina, et loca capitis, sub axillis et in regione pubis, in quibus illi crescunt, certis finibus sunt circumscripta, in viro autem crines per totum fere corpus sese extendunt. Quorum qui tempora tegunt deorsum demissi barbam conformant, qui sub axillis sunt thoracis anteriorem partem petunt, donec in pectore concurrant; qui montem veneris occupant, non tantum sursum usque ad umbilicum sese vergunt, sed etiam retrorsum per perinaeum usque ad anum extenduntur. Feminae cranium quidem aeque ac viri capillis est obtectum, qui tamen inde ad faciem non demittuntur. Crines in axilla eodem modo arcti circumscripti loco suo continentur, et tam pectus quam abdomen omnino sunt glabra. Neque qui in pubis regione crines sunt latius tendunt, sed ramus ossium pubis horizontalis in parte superiore terminum facit, quem transgredi non solent (54).

§. 5. Exempla, quibus tegumenta externa foeminea indolem masculam induisse refertur.

Differentia cutis, quam in sectione antecedente

(54) Ackermann über die körperliche Verschiedenheit des Mannes vom Weibe aufser den Geschlechtstheilen; übersetzt von Wenzel. pag. 16.

retulimus, omnino nimis exigua est, quam cui in mutatione multum tribuatur, multis enim variisque externis momentis emutari solet. Multo saepius vero femineae indolis ad virilem appropinquatio sese ostendit, si crines iis in partibus feminae evolvuntur, quae in naturali statu glabrae in femina, hirsutae in viro reperiuntur. Creberrima sunt exempla, quibus mystax feminis esse enata refertur, nec raro in mento iis crines progerminant. Neque ejusmodi exempla desunt, quibus crines inde a monte veneris ad umbilicum et retroversum usque ad anum excrevisse narratur. Jam Hippocrates (55) de duabus feminis loquitur, quae mensibus suppressis barbatae et in toto corpore virorum more hirsutae factae fuerint, ut vox etiam et totius corporis habitus virilis redderetur. Utrique Hippocrates remedia, ad menses restituendos, praescripsit, sed quin haec conduxissent, ambae haud ita multo post diem obierunt supremum. Similes historiae a medicis priorum temporum: Schurig (56) et imprimis Burlin (57), qui rem in peculiari libro exposuit, collectae sunt. Etiam Segerus (58) exemplum memoratu dignum descripsit et depinxit. Barbara Ursler annum

(55) Hippocratis epid. sect. VII, lib. VI sub finem ed. Foesii p. 1201.

(56) Parthenologia pag. 184.

(57) De feminis ex suppressione mensium barbatis. Altorf. 1664.

(58) Ephemerides natur. curios. decur. IX. obs. 95.

degens XXII per totum corpus ipsamque faciem, pilis crispis flavescentibus et lanae instar mollissimis erat obsita; barbam praeterea alebat prolixam, cingulum contingentem, ex auribus quoque crines longiores iique flavescentes propendebant. Haec jam ultra annum nupta viro, nullam adhuc progenuerat sobolem. Similiter Vicat (59) refert puellam XXIV annos natam, mensibus, qui hucusque legitimo typo redierant, cessantibus, phthisi esse correptam. Inde ab hoc tempore barbam excrevisse, eamque mensem circiter ante mortem in digiti longitudinem auctam, ultimis autem vitae diebus longius etiam accrevisse. Nec minus memorabile aliud exemplum videtur, quod Hoyerus (60) narrat: feminae cuidam barba et mystax et pappus tam longa excreverunt, ut quavis hebdomade bis terve tonsoris artificio opus esset» quo in deliciis et amoribus conjugalibus mariti haberetur.« Vox erat rauca et omnino ei viri quam feminae similor, menses deficiebant, et «quamvis veneris stimulos saepius experta multosque per annos in legitimo matrimonio vixerit, sterilis tamen absque liberis quinquagesimam agens aetatem vita decessit.» Recens denique nobis exemplum Vaulevier (61) protulit. Puella quaedam, cujus menses,

(59) Sur la plique polonaïse, etiam in: Murray practische Bibliothek. 1. Bd. pag. 578.

(60) Acta physica. tom. 4. pag. 378.

(61) Journal de medecine, Tome 69.

quum naturae lege semper rediissent, subito vigesimo aetatis anno deficiebant, in morbum incidit, qui haemorrhagiis narium vehementibus et saepe redeuntibus ad syncopen usque eam exhauriebat. His symptomatibus per mensem circiter cruciata barbam densam et nigram nacta est, et in totius corporis superficie crines prodierunt, voce etiam asperiore reddita. Valetudo inde ab hoc tempore similibus affectionibus quidem nunquam est labefactata, neque tamen menses redierunt. Sed ne mole exemplorum, rem haud apertius enucleantium, lectores, si qui forent, defatigem, reliqua, quae inveni, et quibus judicium meum connitor, ita notabo, ut testes auctores enumerem: Rhodium (62), Kunzium (63), Michaelem (64), Eblium (65), Bartholinum (66), Borellium (67), Velschium (68).

IV. EPICRISIS.

§. 8. Perlustrantibus nobis hucusque commemorata exempla, quae de avibus, de mammalibus, quaeque

---

(62) Observ. med. centur. 3. Obs. 403.

(63) Diss. de semine muliebri. Lugd. Batav. 1772.

(64) Acta academ. natur. curios. Vol. 3. Obs. 127.

(65) Die Lehre von den Haaren in der gesammten organischen Natur. 2ter Bd. pag. 81 u. 82.

(66) hist. anat. rar. Cent. 1. hist. 42.

(67) histor. et observ. medico physica cent. I. obs. 10

(68) observ. med. episag. 96.

de homine observavimus, id se nobis, uno omnia contuitu complectentibus offert: in avium classe plerumque tum demum mutationem illam animadverti, quum genitalium functio, necsi ex toto quidem recedit, infringitur tamen quadamtenus et imminuitur. Ex eo tamen quominus cum Buttero (69) colligas, provectiore tantum aetate illud in avibus contingere, et Mauduyti certe observationibus, quarum supra mentionem fecimus, prohiberis, qui jam quinto aut sexto aetatis anno sic immutatas aves se vidisse ait, et a me observatae pavae exemplo, quae quarto jam anno masculum habitum assumserat, et Caenaronis observationibus, ab ipso Buttero (70) laudatis, quibus ille mutationem Phasianae quarto aut quinto jam aetatis anno deprehendit. Illam igitur Butteri opinionem quum his exemplis oppugnandam duxerim, alia haud minus rejicienda videtur ab eodem allata observatio (71), feminas, quae sic maribus similes redditae sint, non multo diutius vita frui solere. Cujus fidem vacillabunt phasiana illa, cujus septimo jam anno habitus externi transitum notaverat Blumenbachius, quae XV annos vixit; ac ne longinqua exempla repetam, pava illa, cujus descriptionem nosmet ipsi exhibuimus, quae sextum jam annum post immutatum habitum superarat, antequam cae-

(69) l. c. pag. 193.
(70) l. c. pag. 192 et 194.
(71) l. c. pag. 196.

deretur. — Mammalium autem de aetate, qua transitus ille observabatur, nil certi constitui potuit, quippe quorum plurima, de quibus supra egimus, venatione aliove fortuito casu capta sint. Duo illa cervarum exempla, quarum alteri tertio, alteri secundo aetatis anno cornua creverant, quae Wildungen refert, id certe probant, prioribus etiam aetatis annis posse insolitum illum naturae lusum accidere. Quae autem de homine protulimus, satis demonstrant, ne quem his quidem falli, si conjecerit hanc mutationem provectiori haud minus quam priori aetati posse contingere.

Verum si immutationis hujus exempla aetatis ratione vix omnia ad amussim congruunt, ea tamen certa lex est, ambiguo hoc statu gignendi functionem praepediri semper ac remorari, sive sterilitate sive minuta saltem fecunditate. Id quod per omnia avium genera firmiter, neque ullo exemplo adversante constat. Nec tamen inter mammalia minus comprobatum reperitur; quod enim de cerva Wildungen narrat, quae postquam cornibus altero aetatis anno impertita erat, bis tamen peperit, id praeterquam, quod non larga haec foecunditas erat, minus etiam abnorme ac notabile videbitur, si aberrantem illum formativum nisum, quem Blumenbachius dicit, alterum solum latus cepisse et affecisse, in alterum post penetrasse sat bene monitum respicimus. Humanam autem feminam, mutata sic natura, quantum

ex exemplis colligo, peperisse non inveni, imo experientia docet: feminas, ex quo largior ac densior provenisset lanugo, fecunditatem exuisse. Quodsi habitus externi immutatio nunquam sine genitricis virtutis imminutione aut abolitione reperitur, ea certe lex a natura videtur stabilita, qua vix genitales partes reperiantur, quin cum mutatione illa rationem nexumque intimum duxerint. Ac primum quidem vix aliter fieri potuit, quin omnes, qui tales casus recentiori tempore in avibus observarint, genitalium etiam partium conditionem quam accuratissime respicerent. Exceptis autem Phasianis tribus, ab Huntero inquisitis, et anate illa, de qua Rumballus egit, ceteris exemplis sic affectorum animalium id constat, ovaria in omnibus, oviductus in singulis degenerata fuisse; quum vero iis tribus in exemplis genitalium functiones essent turbatae, id certe haud absurdum erit conjicere, partes genitales neque in istis omni vitio vacasse. Mammalium paucis exemplis, quibus genitalium descriptio addita est, idem comprobatur, quod accuratiore in avium cadaveribus instituta sancitum est inquisitione. Neque id minus memoratu dignum habeo, si vel alterutro tantum in latere transitus illius indicia exstiterant, in illo ipso latere depravatum oviductum repertum fuisse. Doleo nil de statu partium genitalium in feminis barbatis adnotatum me invenisse. Plura quidem harum exempla ex eo aevo prostant, quo rarius cadavera

anatomicae disquisitioni subjici solebant, nec si de genitalium habitu nihil notatum reperies, mirabile id videri potest, justiore tamen opprobrio reprehendi meretur, quod e recentioribus etiam temporibus, quo frequentissime mortuorum corpora inquiruntur, de partium tamen illarum conditione nihil fere compertum habemus.

Quod autem rationem illam attinet, quae genitalium affectionem inter et immutationem externam intercedit, id cuivis vel levius rem consideranti sponte patebit, quod inter alios Ev. Home (72) effatus est, functionem genitalium partium ea in corpus universum vi pollere, ut imperfectam ejus conformationem, aut degenerationem, aut ipsum defectum, proprii etiam totius habitus externi mutatio sequatur. Quae opinio, etsi observationibus illis jugiter niti videatur, nihilominus non adeo veram esse puto, quin dubitanda potius et refellenda videatur. Etenim si revera partes genitales tantam eamque constantem vim in habitum externum exserere valerent, ut hic tanquam ex proprio morbo plane demutari posset, idem etiam semper in ovarii ipsius affectione consequeretur, quod tamen haudquaquam ita esse reperitur. Id etiam nonnihil ad refutandum commentum illud faciet, quod ante aliquod tempus comperi, in praedio quodam quotannis gal-

---

(72) l. c. p. 173.

linas ovariis privari, tamen nunquam mutationem illam deprehendi; quanquam singulae duos aut tres annos illum casum supervixerint. Ad idem fere Pottii (73) exemplum recurrit puellae, cui utrumque ovarium, per annulum inguinalem delapsum resecuerat. Menses, qui hucusque naturae lege comparuerant, deinde omnino destituerunt, mammaeque marcuerunt, barba autem non excrevit.

Praeter hanc explicationem, plures scriptores, qui de hoc phaenomeno egerunt, Hunterum (74), Blumenbachium (75), Kobium (76) ea opinione captos inveni, immutationem hanc ex nisu quodam naturae derivandam esse, femineum sexum, qui conformatione sua masculo inferior esset, perfectiorem reddendi, in quo nonnulli ut Blumenbachius et Kobius illo se Berengarii (77) dicto muniunt: »Mares perpetuo servant sexum, quia natura non intendit in specie humana generare aliquod perfectius masculo, sed interdum repertum est, feminas convariare sexum, quia natura semper cupit perfectionem.»

Hanc tamen sic impertitam laudem neque merere naturam, neque adeo concupiscere, cuivis per-

---

(73) The chirurgicales works of Per. Pott. London 1783. Vol. III. obs. case. 24. pag. 329.

(74) l. c. pag. 536.

(75) l. c. pag. 8.

(76) l. c. pag. 8 et 25.

(77) in Mundinum fol. 210.

spicuum erit, qui mirabiles hujusmodi casus non leviter, et exterioribus tantum notis, sed accuratiori consideratione perquisivit. Etenim si quidem jam concesserim, habitum masculum, in quem femineus vertatur, perfectiorem esse; tamen feminas, sic mutatas, quibus procreandi vis, nisi abolita, certe diminuta inde fieri solet, non solum non perfectiores sed potius imperfectiores reddi contendo.

Jam vero finem dissertationi huic qualicunque faciam, in qua, si quid levius conjecerim, veniam tamen et indulgentiam impetraturum me confido, quum tempore admodum urgente justo celerius hanc conscripserim, et librorum insuper, quos consulere voluissem, inopia officeret. Quibus ex causis denique benevolos lectores, si qui forent, rogatos velim, ut illud in dijudicandis hisce pagellis Quintiliani memoria repetant: »Si quid deest operi, — desunt vero multa — id suppleat aetas, et si qua sunt dicta juveniliter pro indole accipiantur.«

VITA SCRIPTORIS.

Ego Nicolaus Josephus Schiffgens, religioni addictus catholicae, natus sum in pago Vorweiden, in agro Aquisgranensi, d. 11. m. Septembris MDCCCIX, patre Petro Josepho et matre Anna Gertruda e gente Becker, quos dilectissimos parentes Dei gra-

tia ad hunc usque diem mihi servatos summa veneror amplectorque pietate.

Primis, quibus puerilis aetas impertiri solet, literarum rudimentis cura Cel. Zimmermann, t. t. sacellani Euchensis, imbutus, anno aetatis decimo sexto gymnasii Aquisgranensis quartae classi sum adscriptus. Ibi quum per quinque annos studiis operam dedissem, maturitatis testimonium nactus, autumno anni MDCCCXXIX universitatem almam Rhenanam Borussicam petivi, et Rectore t. t. magnifico beato a Droste-Huelshoff civibus academicis, et ab Ill. t. t. Decano prof. Mayer rei medicae studiosis sum adscriptus.

Praelectiones, quas ibi audivi, hae sunt:

Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum philosophicarum, logicen et psychologiam Ill. van Calker, doctrinam rei botanicae mihi tradiderunt Ill. Treviranus; zoologiam Ill. Goldfufs; mineralogiam Ill. Noeggerath, physicen experimentalem Ill. a Münchow, chemiam Ill. G. Bischof. Praeterea praelectiones de lingua Gallica et Anglica apud Ill. Strahl per tria semestria audivi.

De osteologia disserentem audivi Cel. Weber de anatomia, cum generali, tum speciali, de physiologia Ill. Mayer, qui vir una cum Ill. Weber in dissecandorum cadaverum arte dux mihi fuit atque moderator per annum; encyclopaediae et methodologiae medicinae, pathologiae generalis, et anatomiae

comparatae praecepta Ill. Joann. Mueller mihi tradidit, pharmacologiam generalem atque specialem, formulas medicas rite concinnandas me edocuit Ill. E. Bischoff; pathologiam specialem Ill. Naumann. De therapia generali et speciali, de morbisque psychicis Ill. Nasse praelectiones audivi, de Hippocratis aphorismis, de cholera indica Ill. Harlefs, de morbis syphiliticis Cel. Albers, de chirurgia, de ossium fracturis et luxationibus, de arte obstetricia, de doctrina instrumentorum obstetriciorum atque de morbis mulierum Ill. Kilian, de operationibus chirurgicis, de morbis oculorum, de arte fascias rite applicandi Ill. Wutzer.

Clinicum et policlinicum cum propaedeuticum cum therapeuticum duce Ill. Nasse; clinicum et policlinicum chirurgicum cum ophthalmiatrico duce Ill. Wutzer per annum frequentabam, clinicum obstetricium duce Ill. Kilian adii, qui etiam in exercitationibus ad phantoma instituendis dux mihi fuit.

Tribus annis cum dimidio sic praeterlapsis, mense Aprili h. a. Berolinum petii, ubi ab Ill. Weifs Rectore magnifico in civium academicorum numerum et ab Ill. Osann Decano spect. in ordinem medicinae studiosorum sum receptus. Per semestre aestivum, quod hic studiis incubui, exercitationibus clinicis therapeuticis Cel. Wolff, chirurgicis Ill. Rust et obstetriciis Ill. Busch sum usus. Omnium horum aeque ac praeceptorum in Gymnasio Aquisgra-

nensi docentium, quorum praeceptis me fructum esse laetor, erga me beneficia et comitatem nunquam obliviscar.

Inde a mense Julio h. a. etiam inter chirurgos militares voluntarios legionis praetorianae pedestris secundae stipendia ad annum suscepi.

Jam tentaminibus et philosophico et medico nec minus examine rigoroso absolutis fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Bilis neque sola vena portarum neque sola arteria hepatica sed utroque vase secernitur.
2. Aquae soteriae Aquisgranenses inter remedia antarthritica summum occupant locum.
3. In prosopalgia nervi dissectio rejicienda est.
4. Neque synchondrotomiae neque partus praematuri artificialis ope persederi potest partui caesareo.
5. Quo magis partus caesareus, matre vivente, urget, eo magis de fausto eventu est dubitandum.
6. Nullum virginitatis certum exstat signum.